

§. 13. Iis vero qui de suorum superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tamquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties salutationem angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

§. 14. Nec non etiam eisdem Religiosis, qui per mensum integrum singulis diebus spatia media horæ orationem mentalem fecerint, ac Confessi, & sacra Communionem ultima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.

§. 15. Qui vero contrito corde, & poenitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in capitulis culpularum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum faciant, tres annos, & totidem quadragenas.

§. 16. Quotiescunque autem de licentia summi Pontificis, aut suorum superiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes, & confessi, ac sanctissima communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad huiusmodi opus se se parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, & quando in provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. 17. Et insuper, cum superior in visitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatia duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplina, & observantiæ regularis augmento pias ad DEUM preces, ut supra dictum est, effuderint, si Confessi, et sacra communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum indulgentiam, et remissionem, ut præfertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem ut omnes supradictæ indulgentiæ, et gratiæ Religiosis Regularibus cuiusvis ordinis tam monastici, quam mendicantis, dumtaxat, ut præfertur concessæ, etiam omnibus monialibus cuiusvis regulæ approbatæ, et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, et perpetuam clausuram servantibus, tam ordinariis locorum, quam etiam regularibus cuiuscunque ordinis, Regulæ, et instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 19. Cæterum omnes, et singulas indulgentias quibuscunque ordinibus, et institutis regularibus huiusmodi, etiam mendicantibus, et quibuslibet personis regularibus, tam vigore privilegiorum, et litterarum Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut aliâs quovis modo, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, et Apostolicam Sedem hætenus concessas confirmatas, approbatas, et innovatas, auctoritate, et tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, et abrogamus, et ad præsentium nostrarum litterarum præscriptum reducimus, et moderamus.

§. 20. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac eorundem ordinum, et institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla Aurea nuncupatis, eisdem ordinibus, et institutis eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, et Personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialibus, expressis, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 21. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munis eadem fides habeatur ubique, quæ præsentibus ipsis originalibus litteris haberetur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 23. Maji. 1606. Pontificatus Nostri Anno.

Hæc Bulla habetur in Bullario Cherubini tom. 3. pag. 201.

Indulgentiæ Archi-Confraternitatis Chordigerorum S. P. N. Francisci Seraphici.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper Archi-Confraternitati chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum S. Francisci Assisensis. Ordinis Minorum Conventualium Canonice erectæ, & illius Confratribus certas indulgentias, & gratias spirituales concessimus per nostras in forma brevis litteras huius tenoris, videlicet. Cum certas unicuique Confraternitati indulgentias, & gratias spirituales, quibus imposterum fruatur, duxerimus præscribendas, idcirco omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes Archi-Confraternitati Chordigerorum in Ecclesia Domus Fratrum S. Francisci Assisensis. Ordinis Minorum Conventualium Canonice erectæ, & illius fratribus, hætenus per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros concessas revocantes, & annullantes, nulli roboris, & momenti post hæc data præsentium fore declatantes, de Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi.

I. Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui in memoriam ejusdem Sancti Francisci Cordam benedictam, ab ejusdem ordinis superioribus suscipientes, prædictam Archi-Confraternitatem de cætero ingrediantur, die prima eorum ingressus, si verè poenitentes, & Confessi, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumperint, plenariam.

II. Ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Archi-Confraternitate Confratribus, & Confororibus, etiam verè Poenitentibus, & Confessis, ac sacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Ecclesiam, seu Oratorium, in festo principali ejusdem Archi-Confraternitatis, à primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem festi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.

III. In mortis quoque articulo ejusdem confratris, & confororibus, qui poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem verè poenitentes Nomen JEU, ore, si poterint, sin autem, corde devotè invocaverint, similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

IV. Nec non ipsis Confratribus, & confororibus qui prædictæ Archi-Confraternitatis processioni singulis mensibus fieri solitæ interfuerint, tres annos, & totidem quadragenas, & si fuerint confessi, ac sacra communione refecti, ibique pias ad DEUM preces effuderint, etiam plenariam.

V. Qui verò officio Beatæ Mariæ Virginis ab ejusdem Archi-Confraternitatis Confratribus pro tempore celebrando, & recitando, aut cuius alteri officio pariter interfuerint, centum dies.

VI. Insuper eisdem, qui sanctissimum Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos, & totidem quadragenas.

VII. Qui verò poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis Minorum Conventualium, S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, S. Claræ, ac S. Didaci festivitibus, singulis annis visitaverint, & oraverint, ut præfertur, quo die festivitatum huiusmodi id egerint, septem annos, et totidem quadragenas.

VIII. Quoties verò Corpora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuerint, aut alicui pauperi personæ in eius necessitatibus subvenerint, aut pacem inter inimicos composuerint, toties pro quolibet prædictorum operum, centum de inunctis eis, seu aliâs quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiæ consueta, relaxamus.

IX. Insuper eisdem Confratribus, & confororibus, ut supradictas indulgentias, & gratias spirituales consequi, & illas animabus defunctorum, per modum suffragii applicare possint per præsentem concedimus, & indulgemus.

Ac præterea dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti prædicti Ordinis Minorum Conventualium Ministro Generali, ut Confraternitates Laicorum utriusque sexus, sub dicta invocatione chordigerorum S. Francisci, in qualibet Ecclesia Domorum Fratrum Ordinis sui Minorum Conventualium S. Francisci erigere, & instituire.

servata tamen forma præscripta in constitut. fel. rec. Sixti Papæ V. sub Dat. XIII. Kalend. Decembris. Pontificatus sui anno primo, & Clementis VIII. Prædecessorum nostrorum super hoc edita, possit, & valeat facultatè impertiri.

Quæ quidem Confraternitates si, & postquam erectæ, & institutæ fuerint eidem Archi-Confraternitati Sancti Francisci Assisensis, juxta prædictam Sixti V. Constitutionem, sint, & esse intelligantur aggregatæ. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 11. Martii 1607. Pontificatus nostri anno 11.

Cum autem ex concessione fel. rec. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri dilectis Filiis Ministro Generali, & Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia in Ecclesiis eorum ordinis, in locis videlicet, in quibus Ecclesiæ, vel conventus Fratrum Conventualium non existerent, huiusmodi Confraternitatem chordigerorum erigendi, & instituendi facultas impartita fuerit; nos eisdem Ministro Generali, & Commissario Generali specialem gratiam facere, & Christi fidelium spirituali consolationi prospicere volentes, de omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, eisdem Ministro Generali, & Commissario Generali, & eorum cuilibet, ut in Ecclesiis eorum Ordinis tantum ac in locis, in quibus non existent conventus, vel Ecclesiæ Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Confraternitates chordigerorum S. Francisci, utriusque sexus erigere, & instituere, illisque sic erectis, & institutis, indulgentias, & gratias spirituales supradictas communicare liberè, & licitè possint, & valeant, servata tamen forma in prædictis constitutionibus Sixti, & Clementis tradita, ut in præinserto Brevi pro isdem Conventualibus expedito, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facultatem, & auctoritatem perpetuo duraturam concedimus, & impartimur. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis, ad instar, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac utriusque Ordinis huiusmodi, etiâ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cæterisque quibuscunque, Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXV. Septembris 1607. Pontificatus nostri anno tertio.

Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium R. P. Angeli à Lanusca Vers. confraternitas num. 3.

Indulgentiæ Concessæ

Pro festis Ordinis S. P. N. Francisci Seraphici.

SIXTUS PAPA V.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum à primæva institutione Regulæ B. Francisci tam ob illius, & SS. Antonii de Padua, Ludovici Episcopi, & Confessoris, Bonaventuræ, & Bernardini, necnon Divæ Claræ, aliorumque ejusdem Ordinis sequacium sanctitatem, & Miraculorum multitudinem, quam etiam ob multorum ipsius Religionis Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum merita: ingens ubique Christi fidelium multitudo singularem erga quemcumque dictorum Sanctorum gerat devotionis affectum. Nos ut ipsorum fidelium devotionis affectus huiusmodi non modò conservetur, sed in dies magis augeatur, animarumque salutis uberius conflatur, precibus etiam dilecti filii Clementis Bonadosii Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Ministri Generalis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, tam omnibus, & singulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, & de observantia nuncupatorum Fratrum, & Monialibus, quam cæteris utriusque sexus Christianis fidelibus, qui verè poenitentes, & confessi, ac sacra communione refecti, diebus festis Sanctorum Francisci, Antonii de Padua, Bonaventuræ, Ludovici Episcopi, & Confessoris, ac Bernardini, prædictorum eorundem Fratrum Minorum Conventualium Capuccinorum, & de observantia, nec non die festivitatis S. Claræ, Monialium dicti Ordinis Monasteriorum ubilibet constitutorum Ecclesias tam erectas, quam erigendas, vel earum aliquam, à primis Vesperis usque ad occasum solis eorundem dierum,

singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, quo die præfactorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Ut autem præsentibus litteræ ad ipsorum Christi fidelium noticiam facilis citiusque perveniant, volumus quod earum exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhibetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 28. Septembris 1605. Pontificatus nostri Anno primo.

Joann. Baptista Canobius.

Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium R. P. Angeli à Lanusca, Vers. indulgentia num. 5.

INDULGENTIA

Concessa pro Festo Portiuncule extra Assisum.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementis eius Majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum Sancti Francisci de observantia, etiam Reformatorem, ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis in secunda die mensis Augusti, à primis Vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhibetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Julii 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. Card. S. Susannæ.

Hæc Bulla habetur in Theatro Regularium P. Angeli à Lanusca Verbo; indulgentia num. 5.

Indulgentia Portiunc. Assisientis

Non suspenditur in Anno Jubilei.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ob sacri Jubilei celebratione à Vigilia Nativitatis Domini nostri JESU Christi proxime venturi anni inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes, & singulas indulgentias, & peccatorum remissiones, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, & aliis locis piis, sæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam mendicantium Regularibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessas, de Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, ac suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis

sis habere volumus, plenius continetur. Nos cupientes, ut Ecclesia Sanctae MARIAE Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantia, propere, & extra muros civitatis Assisensis congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christi fideles libentius accedant, quod exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore presentium declaramus, mentis, & intentionis nostrae minime fuisse, nec esse, sub praefata indulgentiarum suspensione, indulgentiam utriusque sexus Christi fidelibus, praedictam Ecclesiam die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi visitantibus, requisita, pro eadem indulgentia consequenda, peragentibus, concessam, comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehendam, esse, in verbo Romani Pontificis attestatur: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam MARIAM Majorem, sub Annulo Piscatoris. Die 21. Augusti 1699.

Hec Bulla habetur in officiali curia Ecclesiastica P. Augustini Mattheucci cap. 26. num. 6.

Indulgentia Portiunculae

Potes applicari pro defunctis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Alias fel. Record. Greg. Papa XV. Praedecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia, etiam Reformatorum nuncupatorum, ubique existentium, die secunda mensis Augusti a primis vespere usque ad occasum solis diei huiusmodi, annis singulis, devotè visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, haereseum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad DEUM preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, misericorditer in Domino concessit, & alias, prout in ipsius Gregorii Praedecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die 4. Julii 1622 expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur. Cum autem dilectus filius moderatus Procurator Generalis dicti Ordinis, ut nobis nuper exponi fecit, indulgentiam plenariam, & Peccatorum remissionem, per dictum Gregorium praedecessorem, ut praefertur, concessam, etiam animabus Christi fidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summo per se desideret. Nos piis ejusdem Procuratoris Generalis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis DEI misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate consili, indulgentiam plenariam, & peccatorum remissionem Christi fidelibus praefatis, supradictas Ecclesias Fratrum Ordinis S. Francisci de observantia, & Reformatorum dictas, die secunda mensis Augusti, ut supra visitantibus, & praemissa peragentibus, concessam, etiam Christi fidelium animabus, quae DEO in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus &c. Datum Romae apud S. MARIAM Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 12. Januarii 1687.

Hec Bulla habetur in Officiali curia Ecclesiastica P. Augustini Mattheucci cap. 26. num. 7.

Indulgentia Portiunculae

Potes obtineri toties, quoties secunda die Augusti, si visitatur Ecclesia Franciscanorum.

Quia in Decreto sub Innocentio X. de Apocryphis indulgentiis S. B. indulgentiarum declaraverat: semel autem dumtaxat in die, indulgentiam in certis dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucriferi &c. Dubitabatur, an indulgentiam praefatam lucrarentur fideles toties, quoties Ecclesiam visitarent, pro declaratione dubii fuerunt preces S. R. C. exhibitae, ut infra. Episcopus Labacensis a parte Imperii Orator devotus Eminentissimi vestris humiliter exponit quod non obstantes Decreto Innocentii XI. de Apocryphis indulgentiis sub die

7. Martii 1678. quo declaravit, semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certis dies Ecclesiam visitantibus concessam lucriferi, pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum Provinciae Carnioliae populo persuadere, indulgentiam pro die secunda Augusti de Portiuncula nuncupatam, eorum Ecclesiam visitantibus concessam, toties quoties eadem die lucriferi posse.

Cum autem huiusmodi abusus ad Summum Pontificem ab Ordinariis deferri jubeat Sac. Congregatio Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 21. in Decreto de indulgentiis.

Idcirco Orator quaerit, & declarari petit: an praefata indulgentia, de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur sub decreto, & declaratione san. mem. Innocentii XI. supradicta pro qua gratia &c.

Die 17. Julii 1700. sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, audita relatione procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis censuit, servandum esse solitum.

Hoc Decretum habetur in officiali Curia Ecclesiastica P. Augustini Mattheucci cap. 26. num. 5.

INDULGENTIA

Concessa pro Festis SS. Joannis a Capistrano, & Paschalis Baylon ex Ordine nostro Seraphico.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris, & Domini nostri JESU Christi, qui gloriosos saluberrimos, quos nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & caelestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam, erga eosdem Beatos caeli incolae fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque nos nuper ad honorem sanctissimae, & individuae Trinitatis, ad exaltationem Catholicae fidei, & Christianae Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, in alma Urbe nostra, tunc existentium consilio B. Joannem a Capistrano Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, de observantia nuncupatorum, & B. Paschalem Baylon disalceatorum nuncupatorum dicti Ordinis Professores, auctoritate Nobis a Domino tradita sanctos esse decreverimus, & deserviverimus, illosque Sanctorum catalogo solemniter adscripserimus; Hinc est, quod Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem caelestis Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis DEI misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate, consili, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum de observantia, ac Reformatorum nuncupatorum, nec non monialium dicti Ordinis, tam haecupus erectis, quam imposterum, quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, diebus festis eorundem sanctorum Joannis a Capistrano, & Paschalis Baylon, nempe, Sancti Joannis quidem die XXIII. Octobris, Paschalis vero die XVII. Maji, a primis Vesperis usque ad occasum solis festorum, huiusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum principum concordia, haereseum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad DEUM preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus &c. Datum Romae apud S. MARIAM Majorem, sub annulo Piscatoris die VII. Decembris M. D. C. XC. Pontificatus nostri Anno secundo.

Hec Bulla habetur in Officiali Curia Regularis R. P. Augustini Mattheucci cap. 19. num. 20.

INDULGENTIAE

Concessa obeuntibus Viam Crucis, seu montem Calvariae a Franciscanis erectum.

Bulla Innocentii fel. rec. Pape XII. Executionem litterarum Apostolicarum, & privilegia Ordinis Fratrum Minorum

novum S. Francisci strictioris observantiae, Recollectorum, & Reformatorum, in specie Indulgentiarum Viae Crucis, & Montis Calvariae concernens, Anno 1695, 17. Calendas Januarii edita, & ad Archiepiscopum Valentinum, adualem Inquisitionem Generalem, & Nuntium Hispaniarum directa.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Salutem &c.

Sua nobis dilectus filius Frater Franciscus Diaz a sancto Bonaventura sacrum Congregationum Indicis, Rituum, & super disciplina seu reformatione Regularium Consultor, ac Missionariorum diversarum provinciarum Ordinis FF. Mio. S. Francisci Familiae Ultramontanae Procurator petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam a felic. record. Innocentio Papa XI. Praedecessore nostro litterarum in forma brevis sub die 5. Septembris, de Anno Domini 1686. emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum, & indulgentiarum, etiam plenarum, utque tunc non revocatarum, inter Ecclesias, loca, Contraternitates, Congregationes, Ordines, & Personas utriusque sexus obedientiae, vel directioni Ministri Generalis Ordinis Fratrum Min. S. Francisci subiectas, a pluribus Romanis Pontificibus, ipsius Innocentii, & non solum Praedecessoribus, eisdem per diversa privilegia concessa, a qua communicatione, prout iterum vicibus, a Sede Apostolica extitit declaratum, resultare dignoscitur, quod, quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Ecclesia, aut una Contraternitas, seu quavis Congregatio Ordine aliquarum e dictis personis aliqua indulgentia sive plenaria, sive non, applicabili per modum suffragii, vel non applicabili pro animabus purgatorum, ad favorem earundem tantum personarum, vel omnium simul Christi fidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo loco, altari, vel Ecclesia Contraternitatum, in diebus in concessione expressis persisterint, quod per eandem concessionem fuerit praescriptum, in omni loco, Altari, vel Ecclesia Contraternitatum, Congregationum, Ordinum, & Personarum praefatarum eadem indulgentia ab omnibus respectivè acquiratur, qui eisdem diebus, eadem ibi emiserint diligentias in concessione taxatas. Verum sicut eadem petitio subungebat praesentibus nonnullis scrupulis, quod in praefata communicatione Generali comprehensa non veniant loca, & Ecclesiae terrae sanctae, aliarumque partium Orientis, existentium extra Jerusalem, ad tollenda de medio quaecumque dubia fuit nobis pro parte praefati Ordinis humiliter supplicatum, quatenus non essent exclusae praememorata loca, & Ecclesiae terrae sanctae, & multo minus aliarum partium Orientis a communicatione mutua, & reciproca, quae includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquantur privilegia, & constitutiones Pontificiae praefatae, ad hoc, ut indulgentiae saepe dictae eisdem concessae, & usque modo non revocatae, obtineri valeant sine ullo dubio in aliis Ecclesiis, Altaribus, & locis piis, ac devotis spectantibus ad Personas praememoratas obedientiae, vel directioni subiectas, stante quodam Sedis mens fuit semper haec omnia loca reddere aequaliter concederata, & a fidelibus venerata, ob meritum aequale, uniforme, vel aequivalens, quod jam dictae Personae in Dei, & sanctae Ecclesiae servitio peragent, de continuo, declarare de benignitate Apostolica dignemur. Nos vero praefatam declarationem commissum Congregationi dilectorum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quae sub die 16. Mensis Julii, currentis anni, perpenis praedictis litteris dicti Innocentii XI. Praedecessoris nostri declaravit, praedicta loca, & Ecclesiae terrae sanctae, aliarumque partium Orientis extra Jerusalem esse comprehensa, sive comprehensas in dictis privilegiis, indultis, & indulgentiis, & deinde sub die 27. ejusdem mensis sententiam praedictae Congregationis approbavimus, ut in decreto dictae Congregationis desuper edito latius continetur. Sed quia adhuc post praedictum Decretum dubitabant nonnulli, an mens dictae Congregationis fuerit, stabilire, quod pia loca viae Crucis, seu Calvariae, ad recolendam seu meditandam Christi Passionem a praememoratis Personis, seu Ordinibus ad instar stationum Calvariae Montis juxta diversa etiam Privilegia Sanctae Sedis erecta, comprehensa sint in praefata mutua communicatione, eadem Congregatio sub die 12. mensis Nov. mox elapsi declaravit, etiam praefata pia loca comprehendendi in saepe dictis litteris Innocentii XI. Praedecessoris nostri, ac proinde frui, & gaudere posse indulgentiis, & Privilegiis, in eisdem litteris contentis, & expressis, ac nos sententiam praememoratae

Congregationis sub die 15. ejusdem mensis Novembris pariter benigne approbavimus, sicut in Decreto praefatae Congregationis desuper similiter emanato plenius continetur. Cum autem, sicut dicta petitio etiam subungebat, idem exponens pro majori tam praefatorum Missionariorum, quam caeterarum Personarum praememoratarum quiete, cupiat ut litterae praefatae, ac declarationes, & Decreta a memorata Congregatione cum nostra approbatione desuper emanata suum ubique fortiantur effectum, non obstantes forsitan sinistra interpretatione, seu contradictione nonnullorum Religiosorum aliorum Ordinum mendicantium in illis partibus commorantium adversariorum, quod facere nequit absque speciali nostro rescripto, ideo, ne litterae, & declarationes, ac Decreta huiusmodi suo debito careant effectu, nobis humiliter supplicari fecit exponens praedictus, ut ei in praemissis opportuno providere de simili benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur itarum, & merita causa, & causarum huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, ipsamque exponentem, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & poenis Ecclesiasticis a jure, vel ab homine, quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus inclinati, Discretionem vestram, attento, sicut dictus exponens asserit, quod agitur inter exemptos, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, vocatis dictis adversariis, & alijs, qui fuerint evocandi, ad executionem memoratarum litterarum, ac declarationum, nec non Decretorum huiusmodi, juxta illorum formam, & tenorem, prout de jure, & dummodo iudicium, super praemissis alibi scriptum non sit auctoritate nostra procedatis, procedique mandetis, & faciatis. Nos enim vobis, & cui libet vestrum, etiam per edictum publicum, confitito de nostro accessu, quos quibus, quoties, ubi, quando opus fuerit citandi illisque, & quibus videbitur, sub sententia, censuris, & poenis inhihibendi, contradicentes in illas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii saecularis ad hoc si opus fuerit, invocandi, nec non alia in praemissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, Apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicae 1695. decimo septimo Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno quinto.

Hec Bulla videri potest in Breviario nostro Franciscano, in Rubricis Particularibus, nu. 182. & seqq.

Indulgentiae Terrae Sanctae.

Clemens Papa X. Confirmat Indulgentias, & gratias omnes terrae sanctae locis hucusque concessas, & non revocatas.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pis Christi fidelium votis, ex quibus sacrorum locorum venerationem, & animarum salutem provenire contempimus, libenter annuimus, & illa, quantum nobis ex alto conceditur, favoribus Apostolicis confavemus. Cum itaque sicut dilectus filius Jacobus a JESU MARIA Frater expressè professus provinciae Valentiae Ordinis Minorum Sancti Francisci de observantia nuncupatorum, ac Commissarius, & Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiae terrae sanctae, Nobis nuper exponi fecit, ipse ad eisdem terrae sanctae subsidium, eorundemque Fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium sacraque loca venerationum subventionem, nec non ad spirituales Catholicorum in illis partibus degentium, coque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum omnia, & singula, gratias, Privilegia, indulgentias hucusque sacrae ejusdem terrae sanctae locis Apostolica auctoritate concessa, & confirmata per nos eadem auctoritate confirmari, & approbari plurimum desideret. Nos desiderio huiusmodi annuere, ipsamque Jacobum specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis